

D. O. M.

THESES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



EODEM quo vivimus, creſcimus, ſani vigemus motu, eodem turbato læſa fatiſcit ſanitas, præcepſque ruinam ſibi molitur corporis fabrica. Quanta inde oritur morborum Ilias, quanta inde ingruit malorum caterva! Hinc imminuto & languente ſanguinis circuitu, languent & contabeſcunt corporis functiones; aucto & nimiùm properante, inordinatè concitatur Œconomia animalis; per minutiſſimas vaſculorum ambages velociùs impelluntur liquores; ibi mox hærent, ſtagnant, morâ varias formas, prout hunc vel illum exitum meditantur naturæ vires, ſubituri.

Inter morbos frequentiùs ſævit Inflammatio ; licetque omnes tùm internas, tùm externas infeſtet corporis partes, attamen de ipsâ dicturi, integumentorum communium Anatomen tantùm ſcrutabimur.

INTEGUMENTA communia, plura licet ab Antiquis laudata, duo tantùm numerantur, Cutis, & membrana Adipoſa. Exterior illa, texturâque validior totum corporis habitum tegit pro variis partibus modò denſior, modò rarior ; hæc gracilior & interior priori ſubſternitur.

QUADRUPLICI partium ſerie conflari Cutim volunt recentiores Anatomici. Prima & interior, cæteris craſſior, multiplici vaſorum genere perfuſa, mirando fibrarum varii generis ordine intertexta, extenſionis & contractionis capax, Corii ſive Cutis nomen tenuit.

EXTERIÙS cuti aſſurgunt Papillæ, ab expanſione nervorum cutis oriundæ, hîc villoſæ, illîc Pyramidales, imò pro variis locis variæ, in linguâ, Mammæ Papillâ, apice digitorum &c. ſublatâ Cuticulâ, conſpicuæ, dantque corpus Papillare dictum.

SUBSTANTIA circumdantur Papillæ molli, mucosâ, tenaci tamen, reticulatìm diſpoſitâ, variè configuratâ, tot foraminulis quot aſſurgunt Papillæ pertusâ, illas tranſmittente, firmante, ordinante, Cuticulæ firmiter adhærente : hinc tertia pars, corpus Reticulare ſeu Mucoſum à Malpyghio nuncupata.

QUÆNAM ſit natura hujus-ce partis, nondùm probè elucidatum ab Anatomicis, dubiumque manet. Hanc nervorum exuviis natam exiſtimant alii (*a*) ; alii fibrillis per cutis exteriora excurrentibus diverſimodè intertextis conflari volunt (*b*) ; hanc autem ab extremis minutiſſimorum capillarium propaginibus hinc inde perreptantibus efformari vero propinquum arbitratur clar. Winſlowius(*c*). In hoc corpore poſitam eſſe nigredinem Æthiopum uno ore ſatis fatentur : an à peculiari partium diſpoſitione ? an à ſpecifico quodam humore per illud corpus diſperſo pendeat ? diſquirant curioſi rerum Phyſicarum indagatores.

(*a*) Vid. Boerrhaavii Inſt. Medic. n°. 418.
(*b*) Vid. Mangeti Theatrum Anatomicum Lib. 1°. Cap. 2°.
(*c*) Vid. Winſlow *Expoſition Anatomique, Traité des Tégumens.*

Excepta Unguium regione, exteriùs cæteras ſuper expanditur quarta cutis pars, per loca quædam, interiùs reflexa; Cuticula ſeu Epidermis vocatur. *Illa* vaſis, fibrisque conſtans nullis, ſquamis minimis, ſibi mutuò adhærentibus coadunatisque conſtituit membranam tenuem, plus minùs-ve pellucidam, innumeris perforatam poris, partibus ſubjectis per vaſcula tenuiſſima annexam, ab illis tamen facilè ſolvendam, nulloque ſenſu donatam.

Cuticula exteriùs in ſulcos areasque, in apice digitorum ſpirales maximè que ſpectabiles, exſculpta; facie verò interiori poſt avulſionem quaſi villoſa, ab humore Papillarum exudante, pulpoſisque fibrillarum extremis ſimul concreſcentibus originem ſuam mutuari videtur. Ipſam à ſolâ aëris ſiccitate, fictitiâque vi ipſius coagulante, non eſſe repetendam plurima evincunt argumenta.

In totâ cutis extenſione paſsìm diſſeminantur glandulæ minores, ſebaceæ dictæ, humorem unctuoſum, craſſiorem, vermiculatìm concreſcentem, morâ nigricantem ſecernunt, minimisque oſculis eructant, cuti leniendæ, laxandæ idoneum.

Continuo vaſorum motu exhalari liquorem ſubtiliſſimum demonſtrant obſervationes Sanctorianæ; hinc, præter foramina omnibus non ignota, minoribus Cutis perforatur foraminibus; hæc Pori generatìm nuncupatur triplicis generis diſtinguendi. Majores alii Pilis tranſitum præbent, alii minores Perſpirationi & Reſorbtioni dicantur; hi, Pori arterioſi & venoſi meritò habeantur. Deducendum inde quomodò fiant Perſpiratio & Reſorbtio *experientiâ facilè demonſtrandæ.*

Præter varias cutis Areolas, annotandi ſunt ipſius ſulci profundiores qui vel à cutis connexionibus, vel à muſculis ſuppoſitis, vel à peculiari textûs cellularis conformatione repetantur.

E Cute, totidem quaſi appendiculæ, prodeunt Pili & Ungues, de quibus hîc, ut potè noſtro propoſito minùs neceſſariis, tacere juvat.

Involucrum corporis commune non tantùm dat Cutis, ſed evadit tactûs organum variè pro variis partibus diſtinguendum. Tactum moderatur cuticula, quâ ſublatâ ſequitur ſenſatio moleſta, denſiore factâ enervatur deperditurque tactus.

Alterum tegumentorum commune dat membrana Adipoſa, valdè extenſilis, plurimis conſtans cellulis membranaceis, variæ magnitudinis, inter ſe mutuò communicantibus. Infrà cutem non tantùm expanſa, ad interiores etiam uſque corporis partes progreditur, in ipſismet viſceribus nonnullis obſervanda.

Ipsam perreptant plurima vaſa ſanguifera, ad folliculos appellentia, unde prodeunt ductus peculiares quibus ſecernitur humor oleoſus, defendendis, lubricandis, inungendis muſculis partibuſque vicinis, & ad motum conciliandum idoneus.

EX CHIRURGIA.

Pars corporis quæcunque calore intenſo, moleſtò, duritie affecta, dolens, rubens, tumens, pulſans, cum motu febrili vel in toto vel in parte, Inflammata dicitur; iſque ſtatus Græcis φλέγωσις, Latinis verò, à ſenſu ignei caloris, Inflammatio nuncupatur: hinc, ut patet, omnibus cognita ejus indoles faciliùs deſcribitur, difficiliùs definienda.

Sanguinis rubri arterioſi in minimis canalibus ſtagnantis preſſio, & attritus à motu reliqui ſanguinis moti, & per febrim fortiùs acti Inflammationis nomine inſignitur à celeberr. Boerrhaavio (*a*). Obſtructionem cum febre vel in toto vel in parte, hanc vocat clariſſ. commentator Van-Swieten (*b*). Denique ab exceſſu caloris à violento arteriarum motu excitato in humoribus, ſive illi humores ſtagnent in parte, ut in Phlegmone, ſive liberum obtineant circuitum, ut in Febre, inflammationis naturam repetit Doctiſſimus Queſnay (*c*).

In propriis vaſis ſtat ſanguis, vel vi majori impulſus minorum vaſorum ſubit oſcula; ergo inflammationis ſedes in extremis

(*a*) Vid. Aphor. Boerrhaavii de cognoſcendis & curandis morbis. Aphor. 371.

(*b*) Vid. Commentaria in Aphoriſmos. Ibid.

(*c*) Conſul. Lib. cui titulus; *Traité de la Suppuration purulente*, *Chapitre ij*. à M. Queſnay hujuſce Collegii Magiſtro, nunc primario Regis Medico ordinario, necnon à conſultationibus.

arteriarum propaginibus, vel in lymphaticorum arteriosorum origine.

Pro variâ inflammationis naturâ, sede, extensione, inflammationis petenda diversitas; hinc quomodò in Phlegmonem vel Erysipelas abeat, & quænam sit genuina ipsius à Phlegmone, Erysipelate, Œdemate, Schirro, aliisque tumoribus differentia facilè liquet, de quibus tamen hîc dicere nostri non est propositi.

Quacumque de causâ plus æquò aucta arteriarum actio inflammationis causa proxima statuatur. Hanc promovent plurimæ causæ remotæ tùm internæ ut nimium vasorum robur, Plethora, fluidorum inspissatio aut prava diathesis &c. tùm externæ ut acria ingesta vel applicata, frigus acre, calor nimius, ligaturæ & compressiones, ustiones, aliæque quàm plurimæ.

Inflammationem indicat plurima symptomatum series; nempè tumor, dolor, calor, durities renixusque partis, quibus frequentiùs accedunt febris, sitis, capitis dolores, somnus turbulentus, vigiliæ, debilitas. Quæ in internis sedibus locum obtinet, diversimodè pro variis partibus cognoscitur. A parte affectâ, morbi causâ, velocitate, & extensione, constitutione ægri, symptomatibus, repetenda Prognosis.

Unde oriantur accidentia? quomodò augeantur? ex mutatâ partium mechanicâ deducendum.

A *fluidorum per vasa libera velocitate auctâ frequentiam pulsûs*, calorem, & æstum repetant alii; nos verò hæc, à motu arteriarum vicinarum aucto quidem, fluidorum verò, propter molem excedentem, motu imminuto sed ex eâdem causâ in vasorum parietes nimis urgente, repetenda censemus.

Sua sunt inflammationi tempora; principium nempè, incrementum, status & decrementum, illaque modò citiùs, tardiùs modò percurruntur, in sanationem, alium morbum, vel mortem exitura.

Varium obtinet finem inflammatio, variasque æmulatur formas; hinc, si obstructio sensìm solvatur, Resolutio; si humor stagnans in Pus abeat, Suppuratio; si, sævientibus accidentibus,

fiat mors partis, Gangræna; si denique, effluente liquido subtiliori, materies impacta crassior evadat, Schirrus. Hos exitus, suppuratione exceptâ, consultò omittimus, aliisque discutiendos remittimus.

Pro diverso inflammationis statu diversæ indicationes curatoriæ. His ritè licet, quando vitanda indicatur suppuratio, observatis sæpè minùs feliciter cedit humor parùm obsequiosus; unde major fit obstructio, motus augetur, ingravescunt symptomata, vasa distenduntur, dolore, calore, pulsatione, tumore auctis, suppuratioque citior, tardior-ve pro variâ morbi indole expectanda.

Quomodo perficiatur Suppuratio, non facilè enucleandum. Hanc Fermentationis opus credant otiosi, parùmque accurati rerum æstimatores. Sanguinem ex vasis ruptis emissum, & extrà vasa quiescentem in pus verti cum Platnero non arbitramur (*a*). A majori arteriarum in humores motu suppurationem oriri ratione & experientiâ meliùs probatur; unde si, auctis accidentibus, urgenteque motu, vasa distenta rumpantur, liquores effusi mutatique, solidis teneris attritis permixti dant humorem, album, spissum, glutinosum, æqualem, pinguem, Pus dictum.

Ex modò dictis legitimi puris, suppurationisque purulentæ indicia; sin contrà, pus spurium & malæ notæ, suppuratioque putrida judicantur.

Tempora suppurationis diversis signis dignoscenda. Tensio major, dolor vehemens, caloris acrioris, necnon pulsationis sensus cum febre comite, suppurationem futuram; tumor mole major, in summo tamen paululùm mollescens, vasorum distensio, calor urens, pulsatio, horrores, dolores, sitis, auctaque accidentia, suppurationem præsentem fieri; doloris, tensionis, caloris, pulsationis, febris remissio, partis mollities, contenti fluctuatio, tumoris vertex prominens & mollior, factam suppurationem docent; unde verum cecinere scriptores:

Durities, pulsus, rubor, & dolor, & calor aucti
Signant pus fieri, sed factum dicta remissa.

(*a*) Vid. Institutiones Chirurg. Platneri. de Inflammatione §. 45. Huic quoque sententiæ, sed perperàm, favere videtur Dom. Fizes in libro: *Essai sur la Suppuration des parties molles*, Prop. 2.

In quibusdam corporis partibus, institutâ licet suppuratione, non remittunt accidentia; hinc pro variâ partium texturâ, malique sede difficilè debellanda difficiliùs cognoscitur facta suppuratio, hinc etiam varia prognosis.

Variis suppurationis temporibus, varia competit curandi norma; unde 1°. Si Resolutio obtineri nequeat, & adsint suppurationis futuræ signa, crudus humor maturandus, coctio promovenda; 2°. Illâ præsente, Abscessus formatur, collectio puris stimulanda; 3°. Illâ factâ, exitus puri conciliandus; 4°. Partis purgatio, detersio, cicatrixque obtineantur.

A motu majori arteriarum, moderatè tamen excitato, pendet suppuratio legitima; ergo in primo morbi tempore vicem adimplebunt suppurantia simplicia, coctionemque promovebunt: si major reperiatur in parte motus, topica suppurantia & emollientia applicanda; si elanguescat, irritantia adhibeantur.

Auctis accidentibus, si vasa distenta rumpantur, liquorisque quidpiam effundant, tunc ad tumorem emolliendum, humorisque coctionem absolvendam præstò sint maturantia modò fortiora, modò debiliora.

Ex signis suppurationis factæ absolutæ coctionis patet Diagnosis. Tunc Abscessûs nomen mutuatur morbus, pusque, quantùm licet maturum, tardiùs aut citiùs evacuandum; pro variâ enim partium *structurâ, nunc in celeritate, nunc in morâ periculum.*

Non unâ eâdemque methodo exitus puri conciliandus. An totum opus naturæ committendum, donec eruptâ cute pus foràs prodeat? an ex caustícis petenda curationis præsidia? an in quocumque casu ferrum anteponendum? Primum Mulierculanum placitis apprimè convenit: alterum, ex inani metu ferrum repudiante, quâcumque datâ occasione extollant & adhibeant Empirici causticorum jactatores: ferro semper utantur creduliter qui, manibus tantùm confidentes, auxilia variare nesciunt. Chirurgum prudentem, medendique scium decent omnia hæc media, ex iis nullum ipsi videbitur noxium & inutile, sapiensque modò unum, modò alterum, ad artis decus ægrique salutem, non minùs doctè quàm feliciter adhibebit.

ABSCESSU aperto, pure evacuato, curatio suppurantibus, digerentibus, detersivis, exsiccantibus absolvenda.

CÆTERUM pro variis morbi temporibus, causis, & ægri naturâ, Victûs, remediorumque internorum rationem variè instituimus.

Has Theses, DEO JUVANTE *& Præside* M. TUSSANO BORDENAVE, *Artium & Chirurgiæ Magistro*, *Scholarum Professore Regio*, *tueri conabitur* ISAACUS GOURSAUD, *Lemovicensis*, *Artium Liberalium Magister.*

De Limoges

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Lunæ 13ª. *Augusti à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini* 1753.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii Typographi. 1753.